Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Descriptio Comitatvs Embdani

Keere, Pieter

[Amsterdam], [um 1600]

urn:nbn:de:gbv:45:1-308548

Visual Library



1682

Landesbibliothek Oldenburg

LIBRIS

EMBDANI sunt Chauci minores. Eos describit Plinius lib. XVI. cap. I. *Sunt verò & in Septentrione viſæ nobis gentes Chaucorum, qui maiores minoreſque appellantur. Vaſto ibi meatu, bis dierum noctiumque ſingularum interuallis effuſus in immenſum agitur Oceanus, æternam operiens rerum naturæ controuerſiam, dubiumque terræ ſint partes an maris. Illic miſera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia ſtructa manibus, ad experimenta altiſſimi æſtus, caſis ita impoſitis, nauigantibus ſimiles, quum integant aquæ circumdata; naufragis verò, quum receſſerint, fugienteſque cum mari piſces circa tuguria venantur. Non pecudem his habere, non lacte ali, vt finitimis, ne cum feris quidem dimicare contingit, omni procul abacto frutice. Ulua & paluſtri iunco funes nectunt, ad prætexenda piſcibus retia; captumque manibus lutum ventis magis quam ſole ſiccantes, terra cibos, & frigentia Septentrione viſcera ſua vrunt. Potus ijs non niſi ex imbre ſeruato ſcrobibus, in veſtibulo domus. Et hæ gentes ſi vincantur hodie à Pop. Rom. ſeruire ſe dicunt: Ita eſt profectò, multis fortuna parcit in pœnam.* Hæc olim Chaucorum facies. Nunc multò cultiores beatioreſque agros habent excluſo Oceano fertiles, ſiluaſque etiam opacas. vrbes in hoc Comitatu mœnibus clauſæ duæ ſunt *Embda* & *Aurichium:* pagi complures, vix dimidiatæ horæ itinere à ſe mutuo diſtantes. Sunt & duo alij Comitatus qui Embdano Comiti ſubiecti ſunt, *Eſens* & *Ieueren.* EMDA ad Amiſiæ fluminis oſtium Emporium eſt celeberrimum, portus opportunitate nobile, cuius alueus ita profundus eſt, vt nauigia maxima paſſis velis admittat: propterea amplitudine opum, ædificijs publicis priuatiſque, & ciuium multitudine omnibus non Germaniæ modo, verum etiam Europæ angulis innotuit. Nomen habet à fluuio *Ems,* quem Tacitus Amiſiam vocat. Hic ille eſt fluuius, ad quem Druſiana foſſa egreſſæ legiones Romanæ, latæque Oceano, ſecunda nauigatione peruectæ ſunt, vt refert Tacitus ſecundo Annalium. AVRICHIVM vrbs altera, nobilium iucundiſſimus receſſus ob ſiluas & nemora, in quibus aucupio vel venatione liberaliter ſeſe exercent. Ciues potentes habet, mercaturæ vel opificio alicui dedi-

ALBERS 11,2
Karten 280

Landesbibliothek Oldenburg